



1647, 8 / 8

28

D. O. M. A.

Dissertatio

De

# ANGINA,

Quam

Sub Præsidio

VIRI

*Amplissimi, Excellentissimi, atq, Experientissimi*

**Dn. CHRISTOPHORI SCHEL-  
HAMMERI, Hamburg. Med. D. Celeberrimi, Anatom. Chirurg. ac Botan. Profess. P. Eminentissimi, Horti Medici Præfecti Laboriosissimi; Domini Præceptoris, & Patroni sui colendissimi,**

*Exercitii gratiâ publicè proponit*

**DANIEL Eudwig / Vinariensis.**

Ad d. Julii, in Audit. Medicor.

JENÆ, MDCCXLIII.

---

**PRELO WEIDNERIANO.**





VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimis,  
Dn. MARTINO GEBLERO, Archiatro Vinarienti Eminentissimo:

Dn. MARTINO Thymen/ M.D. Celeberrimo, Poliatro Vinar. Felicissimo:

Ut &

VIRO Clarissimo, ac Pereximio,  
Dn. M. JOACHIMO CNAPIO, Gymnasii Vinarienti, Rectori dignissimo, meritissimo:

*Dominis, Promotoribus, Praeceptoribus, ac Fautoribus suis  
etatem venerandis.*

Denique,

Integerrimo, & in Pharmaceuticâ Eximio  
Dn. JOHANNI Zelden/ Pharmacopæo Vinarienti Fidelissimo, Fautori suo honorando:

*Dissertationem*

*de Angina.*

submissè & officiosè

D. D. D.

Daniel Ludwig/

A. & R.



**U**m Diversa sint faucium Angustia, quae spiritus & esculentorum vias praepediunt; atq; istis omnibus, si modo gutturis ac gula principium afficiant, Angina nomen indiscriminatim assignetur; apprimè necessarium est, ut affectus quadantenus congeneres in limine Traclationis secerneamus.

§. 2. Tument itaq; Pharyngis partes, vel ob humorum affluxum, vel ob solidorum corporum protuberantiam. Humores denuò vel Inflammationem excitant, vel alium quempiam Tumor em. Qui quidem, cujuscung, sit generis, nunquam non Illegitimam Anginae speciem parit. Sola verò Interaneorum Phlegmone, Exquisitam. Nam si fortè ea Externos tantùm Musculos prehendat, ex 6. Epid. §. 7. inter Nothas, ratione subjecti, perinde refertur, ac Altera faucium angustia, quam solidorum corporum extuberatio, sive luxatae colli vertebrae produciunt. Hæc tamen, si Pharyngis Inflammatio Luxationi superveniat, acutissimis Anginis seorsim annumeratur.

§. 3. De NOMINIBUS autem impræsentiarum non est cur cum quoquam litigemus. Quippe si Priscorum monumenta intueamur, parum forsàn, aut nihil referet Synanchen an Cynanchen vocemus Affectum illum, qui Angina vulgò cluet, & principii gutturis ac gulae phlegmonem omninò supponit. Certè, cum Recentiorum species, ut ajunt, variè permisceantur, difficilis erit illa nominum, in diversas partes, distributio: nisi forsàn, respectu majoris & minoris, distinctionem quandam observemus, in 3. de Morb. II.

§. 4. His ita præstitutis, Anginam exquisitam DEFINIMUS: quod sit Angustia faucium, seu principii gutturis ac gulae, ab Inflammatione ejus orta, spirationis ac deglutitionis difficultatem, cum Febre continuâ inducens. Angustia est: si curatè loquimur. Hæc enim prædictis actionibus immediatè officit. Quinimò latitudine quadam genericâ omnes Anginae species comprehendit: ita tamen, ut præcedentis causæ additione appositè determinari queat. Et hinc legitime



*nam Cynanchen Inflammatione passim finiunt. Videntur autem. Ipsi præcipuè Curationis & Utilium Indicationum fontem intueri. Nam ratione productionis, Phlegmone reverà inæqualiter, per gradus quasi quosdam, in effectum influit; ad eò ut aucta Magnitudo magis, quàm soluta Unitas, vel Intemperies, in sese etata, laudatas actiones ledat. Et denuò quidem non per se: sed quatenus meatus in confinio coarctat, id est, Angustiam parit, commune Anginarum genus.*

*§. 5. De SUBJECTO, præter varia Galeni nostri loca, communes miseria humana observationes abundè testantur. Etenim alios quasi laqueo præfocari; alios rejectis, etiam per nares, edulis inediã indies macerari cernimus. Arbitramur autem in specie phlegmonem diffundi, tum ad omne carneum, quod Pharyngis regionem aut efformat, aut investit: tum ad ipsos Musculos, præprimis glottida constringentes, Crycothyroideos, Arytanoideos, Thyrarytanoideos: item Pharyngicos & Oesophageum. Non tamen præcisè semper ad omnes, vel æqualiter. Sed diversimodè, pro variã subjecti, aut humoris dispositione: ad eò ut non raro tumor interior tantum occupet; nunquam totum Pharyngis ambitum, imò verò confinia quoq; ardet, ac distendat. Hinc illa symptomatum in Anginosis diversitas.*

*§. 6. Cæterum, quod Inflammatio prædictas partes præ reliquis invadat, id quidem, & ob tenuitatem venarum, quæ à Jugularium externarum interiori ramo illuc disperguntur; & ob laxitatem carnium, à perpetuã glandularum illuc contractam, oriri videur. Unde facili negotio sanguis hic in majori copia admittitur; illic pressis venarum tunicis exitu prohibetur. Quod sanè citra evidentem partis intumescèntiam contingere nequit. Meatus enim semper patuli, nec unquam intercepti requiruntur, dum benignus humor sursum, deorsum, dispartitur. Sin minus; certè qui carniùm interstitia consequenter subit, eadem pedetentim refertiet, & præter naturam in tumorem quendam ingratis attollet.*

*§. 7. CAUSSA continens sanguis est in saucium poros modo recensito diffusus. Comprehendimus autem isto nomine non humorem solum temperatum, qui κατὰ τὸ ἴσχυρον vita dicitur. Sed alias quoq; terrestriores, sulphureas, nitrosas partes ipsi conjunctas, ex 4. Viè. Acut. Modò sanguis propriè dictus, tanquam vehiculum, copia præ-*



ualeat. Et hinc illa Phlegmones in Anginis varietas. Neg, enim pu-  
ram tantum, præcisè requirimus, dum Cynanchen ab inflammatione  
oriri profitemur. Verum pro nativâ vocis latitudine admittimus et-  
iam Erysipelatoden, OEdematoden & c. Hippoc. autoritate perso-  
si, qui loco c. utramq; proposuisse videtur. Nec forsitan incongruè  
Heurnii Anginam, in cancrum serè degenerantem, huc referemus.

§. 8. Porro. Causâ propior, cujus adminiculo sanguis in affecto  
loco subsistit, videtur esse Aptitudo quadam tam in recipiente parte,  
quàm in humore affluente fundata. Recipientis Dispositio consistit in  
copiâ vel amplitudine meatuum; atq; sic inducitur ab omnibus iis,  
quæ poros carniû dilatant, aut multiplicant. Cujusmodi sunt ic-  
tici, luxationes, contusiones & c. deniq; quidquid calorem aut dolorem,  
atrabentes vulgò causas, concitat. Quæ tamen non tractione qua-  
dam, sed multiplicatione solùm, vel irrefractione meatuum tumori-  
bus ansam præbent.

§. 9. Ipse vero Sanguis ad subsistentiam illam est dispositus cum  
quantitatis, tum qualitatis ratione. De copiâ aliàs constat, quod mo-  
tus facilitatem apprimè minuat. Sic tenuitas quaquaversum subit,  
& illabatur. Crassities e contra poros obstruit. Eaq; multò facilius, si  
humores Nature aggravatæ nisi propellantur.

§. 10. Atq; his quidem denuo causis remotiores inserviunt. In  
Naturalium censu: Temperies Cordis & Epatis calida, plethoræ,  
vel sanguini calidiori generando apta; Etas juvenilis; Sexus virilis,  
de quo 6. Epid. s. 7. propter sanguinem calidiorem, meatus pharyn-  
gis patulos, exercitia frequentia. E. non Naturalibus Aer estu-  
ans, frigidus, pluviosus 3. Aph. 16. Unde Hyemale ac Æstivum tem-  
pus accusantur 4. Viét. Ac. t. 30. Vernum, quia commovet 3. Aph. 20.  
Autumnale, ob humorum æstate genitorum reliquias 3. Aph. 22.

§. 11. Vicius Anginarum primordia fovet, dum in primis qualita-  
tibus modum excedit, plethoram auget, aut sanguinis affluxum velli-  
cando ciet. Cibus copiosior, Amyctis meraci vini, haustus aq. frigide,  
vel nivalis & c. Quæ verò suffocationem quandam, citra Inflamma-  
tionem excitant, fungi, aconitum, solanum somniferum & c. hic  
meritò excluduntur. Inter Excreta & Retenta plethoram, vel vitio-  
sos succos cumulant, intermissa Venæsectio, Purgatio, Cucurbitula-  
rum applicatio; suppressiones Mensum vel Hamorrhoidum. Simili-



eer & animi, corporisq; motus immodici, subita ab exercitiis refrigeratio, nulla, vel operosiora iusto capitis vel larva, lotiones catarrhis affluigentibus & c. qua humores commovent, vel ad eorum receptionem fauces disponunt.

§. 12. Inter Causas præternaturales recensentur Febres, quarum fomitem dum Natura sanguinis subsidio propellere tentat, non raro, deposita in faucibus saburra, Phlegmonem excitat. Imò superiori seculo Epidemia comitata febres observata sunt, quibus ratione haut adeò manifestè Angina passim iungebantur. Huc porro referuntur ictus, casus, contusiones, compressiones cervicis, luxationes vertebrarum, spina, acus vel officula faucibus infixæ. Sed de causis Cynanches satis forsàn hinc constat.

§. 13. DIFFERENTIAS strictim contemplabimur. Ubi ratione Generis & Vehementia Angina alia est remissior, seu à Paracynanches tribu: Alia intensior. Atq; hæc quidem tam ob causam continentem: cuiusmodi existit sanguis calidior & acrior: quàm ob locum affectum, quando Interna solum pharyngis partes inflammantur. Præterea respectu modi ac moris, alia Malignitatis experta est; alia ejusdem particeps ac Epidemia. Hæc ab impressione aeris abstracta dependet, & plurimos cum gravissimis symptomat. corripit, perinde ac Pleuritides, Peripneumonias & c. occultâ similitate in hominum perniciem armari cernimus.

§. 14. Ratione Subjecti varia passim differentia reperiuntur, 2. de Morb. 3. Progn. Imprimis apud Recentiores Græcor. Nos ductu Hipp. è 3. Prog. r. 16. tres exquisitæ cynanches species constituimus, ita tamen, ut inæqualitatem extensionis in subjecto, quam supra inuimus, hic denuò repetamus. 1. Cum phlegmone interanea gutturis occupat, tumore vel rubore, quasi de compacto, nec intus, nec foris comparente. 2. Ubi interna pharyngis inflammatio manifesto conspicitur. 3. Cum tumor & Erysipelas non modò fauces, sed etiam exteriora colli apprehendit. Anteriorem quidem ac superiorem ejus partem, ob Hyothyroideos musculos: lateralem ob œsophageum: sternum quandò, per continuitatem Sternothyroidei illinc prognati.

§. 15. Respectu causarum, Anginam aliam phlegmone legitima producit; aliam Erysipelatodes, œdematodes & c. vel sanguis alius  
bu-



humoribus permixtus. Atq; hęc porro ratione humoris affluens  
pertinet §. Galeni species 4. loc. aff. c. 3. Quando Pharyngis inflam-  
matio luxationi vertebrarum jungitur.

§. 16. Signa DIAGNOSTICA quod attinet, ratione Generis Im-  
minentem produnt incipiens quaedam deglutiendi ac respirandi  
difficultas, dolor, & insuetus faucium calor, collum difficulter flexile  
& c. Quibus causse præcedentes violenta, tempus vernum, pluvia-  
sum, ætas juvenilis & c. Angina populariter quoslibet invadens, an-  
numerantur.

§. 17. Præsentem verò arguunt signa pathognomonica. Ac prin-  
cipio quidem Respiratio citra Pulmonis aut Thoracis vitium adeò  
nonnunquam difficilis, ut suffocationis periculum decumbentibus  
impendeat. Idq; solum ob commeatum aeris, & consequenter sangvi-  
nis interceptum. Cum enim ejus tubi per medios Pulmones refrigerii  
causã deducantur, continua spiritus ingressio requiritur, ut dilatato  
parenchymate ipsa quoq; vasa dilatentur, & transitus benigni laticis,  
qui ab initio illac institutus est, allevetur. Quando itaq; per coarctata  
fauces aeris ingressus denegatur, non potest non maxima spirandi  
difficultas suboriri, eo quod sanguis expeditã viã desitutus pulmo-  
nes unã cum dextro cordis sinu replet & opprimit, non secus ac con-  
strictã in principio Aortã, cordis viscus præ copiã retenti humoris  
tendi, & tantum non præfocari videmus.

§. 18. Quod autem hæc ob impeditum sanguinis commeatum po-  
tius, quam ob denegatum refrigerium contingant, conspicuus vena-  
rum in facie tumor, & pulsus, invalescente suffocatione, parvus atq;  
rarus aperte confirmant. Utrobique enim ob ex quidam adesse colligi-  
tur, qui sanguinem, illic quidem aditu, ad dextrum cordis sinum; hic  
verò transitu in sinistram, arceat. Quinimò in Embryis & Amphibiis  
subinde deprehendimus, sanguinem manifesto refrigerio, quale pulmo-  
nis est, satis diu commeatu verò nunquam carere posse, adeò, ut Na-  
tura peculiare quosdam tubos, in corde eorũ, hoc fini construxerit.

§. 19. Alterum Anginæ pathognom. signum est, deglutiendi diffi-  
cultas, tanta quandoc; ut ipsa potulenta per nares rejiciantur.  
Quippe cum inflammatio non tantum œsophagi sphincterem, verum  
etiam vicinas glandulas, ac musculos Pharyngicos prehendat, fieri  
non potest, quin deglutionis actus, ab eorum operã liquidò depen-  
dens, sufflammetur.

§. 20.



§. 20. His porrò connectitur febris symptomatica continua. Nempe peiisque inflammationum propè cordis viscus existentium. Nonnunquam tamen primaria precedit; quæ postmodum, excitatâ phlegmone, comitata rationem induit. Accedunt faucium calor, rubor atq. dolor molestissimus. Hic ob solutionem unitatis, quam sanguis eò continenter propulsus parit. Ille, quia benigno laticis alias nativus est. Iste quatenus ab eodem dependet, & porrò in putrescentibus omninò interitur. Pulsus teste Gal. 4. de caus. puls. ab initio magnus est & undosus, nonnunquam systematicè inequalis: ingravescente suffocationis periculo parvus, atq. rarus & c. Quæ quidem interpolationes ab inordinato sanguinis per pulmones transitu, & oppresso cordis robore, dubio procul proficiuntur.

§. 21. In Subjecti per investigatione non est, cur multi simus. Pro diversitate tamen extensionis vel affectarum partium, quas Tumor præ reliquis aggreditur, diversa superveniunt symptomata. In specie vero primam Cynanches differentiam plurima, eaq. intensissima comitantur. Dolor faucium vehementissimus, suffocatio præsentanea, cordis angustia, jaectatio, oculi prominentes, obtutus torvus ac defixus, vox obscura, spiritus exiguus, quem hiante ore, reëtaq. cervice, trahunt, ob Pulmonis à sanguine, ibi circumcirca stagnante, repletionem; cui cum Thoracis capacitas non respondeat, reëti spirant, ut hac ratione Diaphragmate mirus compresso, ac muscibus superioribus in subsidium vocatis, pulmo facilius diffundat, atq. sanguini trans-eunti vi a parari queat: cœu reëta docet acutiss. Casalpinus.

§. 22. Alteram Anginæ speciem, eadem pendè, ut plurimum tamen remissiora infestant accidentia. Venæ in facie manifestò tument, lingua livet, aut nigricat, & ob venarum ac muscilorum repletionè reëctitur, saliva copiosè profluit, deglutitio nonnunquam difficillima existit & c. Tertia medio modo se habet, si tumor & erysipelas per Diaphragm. ad externas partes diffundatur: Sin per metastasim id fiat, cuncta certè pacatiora deprehendentur, uti in 3. Prog. t. 18. observamus.

§. 23. Causarum signa nullibi non proponuntur. Sanguine peccante faucium rubor ac distensio major apparet, facies calet, & roseo colore suffunditur, venæ insignitè tument. Ipse corporis habitus plethoricus est, & causa plenitudinis præcesserunt. Si bilis commiscetur, fe.



febris est acutissima, dolor ar dorq̄ fauciū intensissimus, tumor plorumq̄ internas gutturis partes obsidet. Accedunt sitis, oris amaritudo, deliriū &c. Corporis temperies calida & sicca, caussa procatartice bilem foventes, aethas, meri ingurgitatio. Atra bilis adhuc vehementiora invehit symptomata, urit, pungit, exulcerat, uti quorundam observationes testantur. E contra sanguis pituitosus dolorem minorem, febrem remissam, tumorem citra insignem ruborem, ambitum & glandulas pharyngis potissimum occupantem &c. excitat.

§. 24. Si vertebrae luxatio Anginis ansam praebuit, praecesserunt caussa evidentes violenta, ictus, contusiones, vel etiam musculorū tumor vertebrae sede movens; imprimis in aetate puerili ex 3. Aph. 26. Apparet cavitas, & utring, prominentia quaedā circa Dentis regionem, cū calore, rubore, dolore intensissimis, respiratione difficili, difficillimā deglutitione, ob Gulae vicinē, ac musculorū Longorum, ibi delitescentiū, tumorem. Supervenit resolutio partialis, febris, deliriū & alia, quae 2. Epid. s. 2. recensentur. An v. maligni quippiam Anginae complicitur, pulsus ultra modū languidus, dejectio virium, ac reliquorum symptomatum in consuetā exacerbatio, citra manifestam rationem accidens; item caussa praecedentes, nativam acris temperiem corrumpentes, astrorum infelices postus, & Epidemia morbi frequentia, declarabunt.

§. 25. Reliquum nunc est, ut PROGNOSTICA consideremus. Ubi de salute quidem certiores nos reddent Vires aegri, cum morbi violentia colata. In istarū robore unice ā Anginosorū spē consistere, hant immeritō Galenus noster docuit. Est n. Angina acutū pestiferumq̄ morbi genus, quod respirationis actū inhibendo, cordis robur opprimit, & in subsidium vocatā febre, Totius vires hant perfunctorie labefactat. Quinimō ipsa ejus declinatio nonnunquam novi periculi ac suffocationis principium existit. De Morbi verō violentiā manifestum est, quod symptomata ultra modum aucta, vel intensa, affecti loci dignitas, & caussarum vehementia salutem aegri oppidō indiscrimen vocent.

§. 26. Hinc magna respirandi angustia, febris invalescens, delirium, extrema frigida, vox obscura, anxietas, facies livida vel viridis, potulentorum per nares rejectio, spuma in ore apparens, oculi prominentes, sputa, crassa, viscosa, subalbida; lingua tumida, denigrata, livida, rescicata, exerta, & alia, quae in Epid. 2. Aph. 43. 3. de Morb. & in Coac. recensentur, nisi aeger planē sit robustus, exitium ejus manifestō portendunt.

§. 27. Similiter ratione Subjecti, prima Anginarum species gravis-

B

fima



lima est, & celerimè interimit, eodem vel 2.3. aut 4. die: ex 3. Prog. t. 16.  
4. Aph. 34. in Coac. Nono etiam, ex 3. de Morb. Secunda diutius protrahitur, periculo tamen non caret 3. Prog. t. 17. Tertia salutis spem ferè semper pollicetur, si 2. requisita ex l.c. t. 18. & 20. observentur. i. Ruboris ad exteriora per periculis progressus, quem denuò 6. Aph. 37. ac. 7. Aph. 49. requirit. Si vero pblegmones propagatione solum externa partes tument, tantum abest, ut rubor ille salutaris sit, ut potius imminens exitium, ob mali congeriem, portendat. Exemplo nobis erit Anginosa apud Bitonem 3. Epid. f. 2. Anginosa 5. & 7. Epid. Item ea, quæ de doloribus ad caput, crura, vel hypochondria, citra indicationem conversis, & admodum periculosis in Coac. inculcantur. 2. Ne rubor ex decubitu humorum foris obortus præter manifestam rationem dispareat, vel ad internas partes remeet. Ex 3. enim Prog. t. 19. & in Coac. mortem denotat, vel ruboris recidivam: quia remanentibus causis solvitur, nec pro ratione levat, quod sanè perquam est instabile, ac fidei planè vacillantis, ex 2. Aph. 27.

§. 28. In universum autem Anginae respirationem inhibentes periculosiores existunt iis, quæ saltim deglutitionem arant. In acutis enim cibo facile, respiratione verò nunquam carere possumus. Quinimò ipse tumor, ob partu positum, hic commodius curatur, & convenientibus præstis evocatur.

§. 29. Respectu causarum Angina biliosa pituitosa est periculosior, ob dolorem, febrem, respirandi difficultatem maximam: quia plerumq; gutturis internas partes obsidet. Arthralgia difficilis. Maligna pessima. Quæ à luxatione vertebrarum provenit, ut plurimum lethalis esse videtur, tum ob incommodam vertebrae repositione durante pblegmonem; tum ob symptomata complicata, difficilem respirationem, resolutionem subjectarum partium, febrem acutissimam, convulsiones, deliria: ex 2. Epid. f. 2. 4. Aph. 35. Galenus tamen in 4. de Loc. aff. c. 3. luxationum differentias considerat, & ex Osteologicis, angulosam gravissimam; in orbem paulatim factam remissorem; obliquam ferè mediocrem esse demonstrat. Et hinc diversa egrotantium fata in Epid. l.c. proculdubio dependent.

§. 30. Ceterum ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, iudicium de Duratione morbi hanc erit difficile. præprimis si coctionis notas in sputo, urina, deniq; ipsam affectus ideam, & motus celeritatem inter se invicem conferimus. Modi solutionis ferè 2. sunt, quorum alter evacuat, aliter translata tantum materia contingit. Iste censetur optimus; si tumor discutitur, aut saltem evacuato pure subsidit. Quando vero humores reliquis faucibus internas partes occupant, malum planè exitiosum reddi-



zur, vel eo solum nomine, quod vires egri jam dejecta, vehementiam ob-  
orti denno morbi nequaquam tolerent.

§. 31. Descendit autem tumoris refractarii materia, ob loci viciniam,  
ut plurimum ad pulmones, & Peripneumoniā periculosissimā producit,  
5. Aph. 10. 3. Prog. t. 20. Iste modus fuisse videtur Dodon. cynanche, & affe-  
ctus uxoris Polemarchi 5. Epid. Non unquā membranā costas succingentē  
subit, ac Pleuriticos dolores excitat. Quandoq; medullā spinālē invadit  
4. de Caus. puls. Cordi v. postliminiō communicata pulsū obscurū, anxie-  
tatem, & non raro syncopen, priusquam alio versum propellatur, infert.  
Atq; hactenus quidem ea, quæ cognitioni morbi qualiter cunq; inserviūt.

§. 32. Sequitur ejusdem CURATIO, quæ nisi planē de viribus actū sit,  
nec deneganda nec differenda erit, ex 2. Aph. 19. Usitatis itaq; phlegmones  
Indicationib; ac præceptis Galeni 13. M. M. c. 11. innixi, humores ad fau-  
ces confluentes revellemus, intercipiemus, Lenitib; & Alteratib; corrige-  
m; . Illapsos, nondū tamē impactos derivabim; , repellemus. Turgētes pur-  
gabimus. In partiū interstitiis conclusos discutiemus, & si refractarii sint,  
maturatibus adbibitis, vel alia ratione evacuabimus; Robori affectæ  
partis ac Totius, Urgentibus quoq; symptomatibus subinde prospicientes.

§. 33. Atq; ut à CHIRURGICIS PRÆSIDIIS exordiamur, manifestū  
sanguinis vitium Venæ sectionē indubitatē requirit. Eandem febrilis in-  
temperies indicat: pr. e properus autem morbi motus statim, & quavis  
horā expediendam esse monet. De loco haurerimus solliciti; cum modō  
presentem & legitimam Cynanchen consideremus. Ipsa verò ratio, præ-  
ter Experientiam, ac Seniorum præceptionem 4. Ac 3. de Morb. 13. M. M.  
c. 11. & c. apertè demonstrat, quod Venarum cubiti scēlio cum maximope-  
rè juvet, tum indicationibus examissim respondeat. Quippe non solum  
plenitudinem & hinc fluxionis perseverantiam minuit: Verum etiam eā-  
dem operā sanguinem ex Aortæ trunco ascendente affluentem quadante-  
nus per axillares ramos, à vicinis carotidibus avertit, & in oppositam  
partem secundum eū Ductū revellit.

§. 34. Si tamen omninō quispiam de Revulsione remotissimā contē-  
dat, ipsi cum Septalio Saphena scēlionem largiri possumus. si maxima ple-  
thora, & insuper primordia saltem Cynanches adsint: adeo, ut morbo jã  
manifestario, sanguenē cubito pro fluxionis impete brevi post derubere  
liceat. De cætero nec cornicum oculos consigemus, nec in pernicitate flu-  
xionis, ob præsidia longè petita, commovebimus. Prius enim fauces à san-  
guine sursum equaliter propulso insignitè tendi possent, quàm cōmodum  
illud, quod ex trunco descendere evacuato nascitur, eò manifestè perti-  
n-



geret, vel tempus venesectioni in cubito repetenda prescriptum ingrueret. Proinde si Mensium suppressio, vel instans, aut actualis fluxus cum Angina exquisita complicetur, hic quidem regiam curandi tramitem nequam deseremus: ne verò Nature opera perturbare, aut vilipendere videamur, cucurbitulas coxis ac femoribus, ingvini fomenta, cruribus frictiones & ligaturas adhibebimus. Quinimò, si quippiam ibi permutari contingat, quod tamen plurimorum observatio redarguit, omne illud, scilicet poplitea vel saphena, corrigemus.

§. 35. Quod autem in specie Venarum selectionem atinet, aperiatum primò Basilica vel Mediana hinc Cephalica: siquidem diversis harum effectus deprehenditur. Neq; porro phlegmone ad alterutrum latus declinante, oppositi lateris sectionem ab initio reprobabimus. Quantitatem verò Virium robur, & affectus vehementia declarabunt. Commodissimum tamen esse videtur sanguinem per vices mittere, ut subinde quadam mutatione facta fluxionis impetus imminuatur, & sit, quo humores procedente morbo alluentes revellere possimus. Prima tamen vice liberalius evacuabimus: interposita die, horis 6. 12. pro phlegmone violentia parcius: ad animi deliquium nunquam; puerorum & gravidarum conditionem semper evadentes respicientes.

§. 36. Ranule aperte, imprimis autem Externa jugulares (licet earum sectio periculo non careat) morbum in progressu evidenter levant; eò quod & affluentem sanguinem derivant, & causa continentis quidpiam subducunt. Arteriotomia in pertinaci serventis sanguinis fluxu presertimaneum adfert adjumentum, si modo propè Indicem secundum artis leges instituitur. Cucurbitulae scarificatae in lumbis, femoribus & brachijs prima, vel saltem repetenda venesectionis vicem esse possunt. In colica verò post morbi principium, affectam ac vicinas partes deplent. Idem utriq; ratione prestant Hirudines: ibi majoribus venis, hic pone aures, sub mento, vel mamarijs. ex 3. de Morb. §. 4. Ac. notis, affixa. Scarificationes sub maxillis profundiores, teste Benevenio contumacissimas Anginas solvunt. Quiddam hoc fini Velicatorium pectori imponunt, ut rebellis materia eò descendat. Cucurbitula non scarificata in pectore initio morbi posita revulsionis vicem supplet, & sanguinem cum impetu venientem sistit. Ligaturae extremorum intercipiendo; Frictiones dissipando fluxionis violentiam ex parte sufflamant.

§. 37. Porro: cum pure maturato abscessus nec spontè, nec sercatus operumumpitur, candela cerea ol. amygd. illita pertentando perforetur. S.



verò conspicuus erit, ductis per oris Speculum dentibus, ligneo glan-  
lo, vel scalpello Parei falcato aperiatur. Pus promo capite, ne gulam aut  
pulmones intret, excreetur.

§. 38. Caterum, quando tumor spiritus viam, omnibus ne quicquam  
adhibitis adeò præcludit, ut præsens suffocationis periculū imminat, au-  
dacler Assere arterie compages dissolvatur: hoc quidē modo: Eger ca-  
pite sit quoadanemus reclivi: Minister cutē ab utraq, colli parte retrahat,  
eamq, postmodū Chirurgus rectā secundū lineā designatā scolopomache-  
rio trajiciat, separatis capulo musculis, Tracheæ membranofam substantiā  
inter 2. & 3. cartilagine lancetta vel spatulā perforet, ac vulnere medio-  
ximo alata cannulam insinuet, usq, dum discussā vel suppuratā mate-  
riā, suffocationis periculum transferit. Hinc intactā cartilagine cutis la-  
bia, leviter prius, si callum contraxerint, scarificata, filo glutinove jun-  
gat, & secundum artis regulas consolidet.

§. 39. Luxatis autem Vertebris, si modo spes quæpiam suppeditat, præ-  
misso Prognostico, citra moram succurramus. Et minister quidem agro-  
rum firmiter retineat, humeris ejus immixtus. Chirurgus verò caput utrin-  
que prope aures prehensum in partem luxatæ contrariam verset, ac simul  
pollice anteriore colli, juxta Tracheam, comprimat, ut os in propriam se-  
dem repellatur: Quod postmodum ex Chirurgiæ præscriptis contineat,  
non neglectā saucium phlegmone, illinc obortā. Et hæc quidem de iis, quæ  
manuum subsidio perficiuntur.

§. 40. In MEDICAMENTORUM censu primò numerandi sunt Cly-  
steres qui ante vel post adhibitam Venæsectionem, vitiosos humores è  
primis viis subtrahunt, & reliquorum impetum, demptā parte, retin-  
dunt. Parantur ex Emollientibus, quibus acriora, mercurialia, ent. min.  
& c. ac purgantia temperata, El. diacathol. de suc. ros. associantur. Ene-  
matum locum suppleat Lenientia temperata, ac liquida: Infus. cassi-  
cum aq. prunel. & El. de suc. ros. Decoctum tamarind. syr. ros. viol. sol.  
manna, cremor tart. tart. vitr. Quibus liquore convenienti permixtis  
valentiorum quidpiam stimuli vicem addi potest. Imo ejusmodi mitio-  
ra, etiam post clysteris usum convenienter exhibentur, ut primæ regionis  
saborum exactius deturbetur, ne febrili æstu agitata, reliquam sanguinis  
massam inficiat, vel tumoris molem augeat.

§. 41. Caterum, si quando ferventes ac biliosi humores, benigno lacti  
permixti, febre, & inordinato ætuum motu ad fauces conversi Angi-



nam excitent, adeo tamen infidam, ut periculum sit, ne materia alio-  
rum delata Peripneumoniam & c. pariat, vel per turgentes in corpore  
humores incrementa capessat: Omculo 1. Aph. 22. confissi Purgantibus  
proprie dictis, attenuatis tamen, & in grata potionis formam redactis,  
morbum aggrediemur. Et quidem citra moram, eodem vel sequente die,  
quavis hora, Gal. ac Tralliani exemplo. In istis enim cunctari periculo-  
sum est 4. Aph. 10. Materie recensionem, quia nullibi non utramq; facit  
paginam, impraesentiarum sumpti faciemus.

§. 42. De Vomitoriis autem arbitramur, quod in ejusmodi affectu  
praeter ratione usurpentur. Etenim ob maximū in faucibus conatu nō so-  
lūm pblegmonem augent; verum etiam decumbentes praesentaneo suffo-  
cationis periculo subjiciunt. Certē contra Gal. nostri monita, qui nun-  
quam in inflammatione partium humores vitiosos per affectum locum  
deducendos esse docuit. 13. M. M. c. 6. & u. Sudorifera, ichoribus sanguine  
dilucentibus, in morbi progressu convenienter adhibentur: siquidem me-  
atus referunt, nec parum discutunt. Imo si Maligni quippiam subsit, etiā  
in principio conveniunt. Terr. sigil. C. C. phil. C. Mag. oc. cancr. Bez. solar.  
lapis Bezoar & forsā (si Bontio credimus in Med. Indor.) porcinus aut  
microcosmicus. spir. sambuc. & alii liquores Diaphor. cum aq. card. ben.  
sambuc. prunel. periclim. scorzon. galeg. & spir. papav. rh. ad. suc. viol. & c.

§. 43. Alteratia febriles astus temperant, & sanguinē biliosum reserant:  
ex aq. r. splantag. prunel. cicbor. cum spir. ros. myrt. de liquir. de suc. viol.  
Vel cū sem. frig. major. lactuc. amygd. dulc. Emulsionēs; aut Linētus è præ-  
cedētib. cū rob. de rib. diamor. dianuc. pro ratione indicationū parati & c.

§. 44. Localium materia & usum Galenus diligentissimē persequitur  
6. x. c. 1. Quippe non solū opus est, ut in Cynanche generales curā-  
darum inflammationum praeceptiones observemus: Verum etiam curata  
partis affecta consideratio requiritur; ne sc. fortioribus ob tunicam oris  
cute teneriorem; nec ingratis, ob moram circa gustus organum: nec ma-  
lignis tussim, vomitumve excitantibus & c. quia facile quippiam in pul-  
mones aut ventriculū ferri posset, utamur. Similiter, cum pharyngis  
partes naturā quasi humida ac molles sint, ut ab initio simul quippiam  
discutiamus & detergamus: In declinatione verō adstringentibus qui-  
busdam affectam partem adversus interpolatos fluxionum insultū obfir-  
memus. Praeterea, ut ratione constitutionis corporis, loci affecti vel humo-  
rum, aliquem medicamentorum selectum instituamus, mitiora usum pan-  
tes in subjecto debili ac raro, laryngis inflammatione, & minori fluxionis



impetu. Fortiora in contrariis. Sic respectu caussarum, sanguine vel bile peccante, vim adstringentium, pituita resolventium &c. intendamus. Spina faucibus infixâ, ne repellentium usu corpus extraneum magis impingatur, suppurantia protinus adhibeamus.

§. 45. Nempe eò tandem res recidet, ut ab Initio, statim post primam sanguinis missionem, repellentibus moderatis, & nonnihil abstergentibus; in Augmento pedetentim digerentibus additis; circa Status principium equali repellentium ac digerentium quantitate; propè Declinationem ferè solis digerentibus, in fine cum pauxillo roborantium & adstringentium permixtis utamur: assiduo tamen naturam subiecti, humoris, & affecte partis, nec non symptomata supervenientia respicientes.

§. 46. Proinde è repellentium tribu convenientiamor. dianuc. sir. & suc. gran. myrt. l. ros. sic. &c. cum aq. prunel. plantag. fol. querc. vel Decoctis ex iisdem ut & rubo, cort. lign. berb. cort. gran. bac. ac fol. myrti, cer. as. querc. sumach. bals. us. ros. rubr. cum aluminis pauxillo paratis. Gargar. Minsichti de cort. gran. de Glycyrrh. Infus. fl. malv. arb. reserente Schonborn. & alia, quibus detersionis gratia semper mellis ros. col. quippiam admisceatur, arg. hinc gargarismi, vel potius oris collutiones, ac linctus, præprimis pro puerulis, concinnentur.

§. 47. Arbitramur autem magis esse proficuum, si usui mitiorum, quæ sanguinis fervorem mitigant, & partes ne ulterius divellantur, roborant, eadem tamen operâ humores affluentes quadantenus discutiant, impræsentiarum humoremur: quam si fortioribus, frigidis ac siccis adhibitis, dolorem satis alias molestum, exasperemus, meatuum obstructions augeamus, atq. adeo in partibus sic humoribus discussionem vel suppurationem tumoris, si non impossibilem, saltem difficillimam reddamus.

§. 48. Digerentia convenientiora sunt, organ. puleg. thym. calameth. fl. chamem. melilot. rad. irid. sem. lini fen. græc. in mulsâ decocta: fursur, caric. cum croco ac myrrhâ in aq. hord. Quibus pro ratione temporum valentiora addi possunt. Cin. hirund. cochlear. cancr. album græc. ras. ligni hederæ, lap. prunel. vel nitrum crudum alb. sal ammon. fl. sulph. Commendantur etiam aq. periclim. quinquæfol. cum sp. nitri vel tart. sir. de glycyrrh. hyssopo, vel de passio mixta. Decoctum gummi sambuc. aristol. rotund. & uvulariæ. Ol. ligni sancti, Rulandi experimentis nobilitatum. Garg. de Alth. de auric. Jude Minsichti. Ras. dent. castor. lucii, apræ cum melle, vel ol. amygd. & alia quæ nitrosi vel Armon. salis naturam participant. Nequaquam tamen temerè valentiora usurpabimus, præ-



fertim ab initio, ne discussis tenuioribus humorum particulis crasse relinquantur, aut dolor intendatur.

§. 49. Quum verò digerentibus nequicquam adhibitis Tumor 4. vel 5. die ad suppurationem tendit, Maturantibus admixtis natura suppessas ibimus. Hujusmodi sunt, lac tepidum, castie pulpa, mucil. sem. alb. decoctū rad. malv. alb. lilior. alb. caric. sem. lini san. grac. in aq. multā vel hordei, cum melle ros. sapā vel dialb. Fernel. Uti abscessus facilius rumpatur in sine cin. noctuæ, hirund. album grac. sinapi &c. adjiciantur. De pueri rescicato stercore &. Gal. 10. simpl. Pure convenienter vacuato, ulcus mundificetur usu bydrom. decocti hordei, cum melle ros. Quic us urgente necessitate rad. irid. arifol. ros. myrrha &c. addi possunt. Consolidetur autem linciu è conferv. ros. rad. symphyt. bol. arm. thure &c. parato.

§. 50. Caterum, cum non raro dolor in faucibus admodum excrestat, Anodyna & mitigantia jure merito subinde adhibebimus. Et quidem ab initio lac tepidum solum, vel lentis palust. plantag. summitat. rubi incocium, castiam in aq. plantag. vel lacte muliebri a. sol. Procedente verò morbo succum pitian vel panis alb. in lacte cocti & expressi, castiam cum ol. amygd. lac. amygd. mucil. sem. lini, liquor. lacteum Myrsibetti. Lingux nigredinem ac scabritiem emendabimus mucil. sem. convenientium cum aq. prunel. portul. extractā & sr. de jujub. viol. &c. mixtā: succo cancer. & semper viv. cum nitro: extimā lardi crassā.

§. 51. Postremo remedia particularia Externa consideranda veniunt. Ubi quidem per totum morbi decursum phlegmones materia, quoad ejus fieri potest, prolici, & actu calidis praesertim dissipari debet. Ab initio autem, seu 2. die mitioribus, ol. aneth. chamem. lilior. alb. cum lanā succidā. Procedente verò tempore vehementiora usurpari queunt, Ung. Farandei, Cataplasma de nido hirund. Emplastrum de Melil. Disulph. Kulandi, rubeta coctā, ol. amygd. dul. cum exudite serpentis coctum, ol. cymin. menth. destill. Heracelinum. Item, quæ ob necessariā transpirationem convenientiora videntur, Epithemata ex aq. scabios pentaph. st. jamb. cum sp. vini vel nitri; decoctā cin. hirund. rubeta, exubiarū serpentis cum nitro parata. Quando igitur tumor ad suppurationem tendit: convenit Catapl. I. Hor. stii, Ung. dialb. &c. si planè foras fertur, Diachylum parv. magnum, alia, quorum recensione impræsentiarum super sedemus.

§. 52. De DI. ET A breviter. Aer si temperatus, quem ager erecto, si fieri potest, corpore ducat vicus tenuissimus & refrigerans, cremor pitian. juacula pulli fol. acetos. succo Citri, alterata, vel si vires id requirant, cum Sircello ovi mixta. Potus aq. hordei sr. acetos. citri vel de suc. viol. edulcorata, aq. multā, cerevisia tenui. Vinum & omnia, quæ fluxionis aut febris impetum augent, debitentur. Si ager planè deglutire nequeat, fistulā cum vesicā gule oppositā quiddam in stomachum compellatur: vel chyleres nutrientes & consummatas & confortantibus parati adhibeantur. Siquidem ob Venas lacteas, etiam ad inferiora intestina dispersas quadantenus nutrire queunt &c. Atq; hæc quidem hætenus de Anginā exquisitā.

F I N I S.



ULB Halle  
003 260 119


3



*W009*











1647,8  
8

28

D. O. M. A.  
*Dissertatio*  
De  
**ANGINA,**  
*Quam*  
Sub Præsidio  
VIRI  
*Amplissimi, Excellentissimi, atq, Experientissimi*  
Dn. CHRISTOPHORI SCHEL-  
HAMMERI, Hamburg. Med. D. Celeberrimi,  
Anatom. Chirurg. ac Botan. Profess. P. Eminentissimi,  
Horti Medici Præfecti Laboriosissimi; Domini Præceptoris, &  
Patroni sui colendissimi,  
*Exercitii gratiâ publicè proponit*  
DANIEL Eudwig / Vinariensis.  
Ad d. Julii, in Audit. Medicor.  
JENÆ, MDCCIII.

---

PRELO WEIDNERIANO.